

quod amat Deum et fratrem suum odio habent, mentitus est; nam quomodo qui fratrem suum quem videt non amat, Deum amat, quem non videt? et illud accepimus à Deo præceptum, ut qui Deum diligit diligit et fratrem suum.

Solutus ergo Dei amor præcipua decem mandata Dei, omnesque leges ab eo præscriptas essentialiter complectitur, et ex eorum observatione pendunt omnia tum presentis, tum futuræ vitæ promissa. Inde in Levitico Deus sic ad filios Israel: Ego ENS Deus vester: juxta consuetudinem terræ Ægypti, in qua habitastis, non facietis; et juxta morem regionis Chanaan, ad quam introductus sum vos, non ageris, nec in legitimis eorum ambulabitis. Facietis judicia mea et præcepta mea servabitis, et ambulabitis in eis. Ego ENS Deus vester. Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo vivet.

Longè autem ante illa tempora, Deus allocutus Noe, novi orbis caput, ipse patriarcham monerat et ejus filios, quod sensus et cogitatio humani cordis prona sunt in malum ab adolescentiâ suâ; illud fatale consequens est primi hominis inobedienciæ; et idè, cum Israelitæ sibi nimis fidentes ausi fuerunt dicere Moysi: Audi cuncta quæ dixerit Deus, loquerisque ad nos, et nos audientes faciemus ea, addidit Dominus: Quis det talem eos habere mentem ut timeant me, et custodiant universa mandata mea in tempore, ut bene sit eis et filiis eorum in sempiternum? Et idè Moyses, quum eis prænuñtasset et futuras iniquitates, et imminentes à Deo penas Judæis, hoc sermone redituras Dei in ipsos misericordias concinit: Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum et cor seminis tui, ut diligas ENS Deum tuum in toto corde tuo, et in totâ animâ tuâ, ut possis vivere..... Tu autem reverteris, et audies vocem ENTIS Dei tui, faciesque universa mandata quæ ego præcipio tibi hodiè. Et supra: Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodiè, non supra te est, neque proci- positum, nec in celo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad cælum ascendere ut deferat illud ad nos, et audiamus atque opere compleamus?

Neque trans mare positum, ut causeris et dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos usque deferre, ut possimus audire et facere quod præceptum est? Sed juxta te est sermo valdè in ore tuo et in corde tuo, ut facias illam.

Sanctus Paulus altissimum sensum nobis aperit illorum verborum, sicque ait: Finis est legis Christus ad justitiam omni credenti: Moses enim scripsit quoniam justitiam, quæ ex legè est, qui fecerit homo, vivet in eâ; quæ autem ex fide est justitia sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cælum? id est, Christum deducere; aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum à mortuis revocare. Sed quid dicit Scriptura? Propè est verbum in ore tuo et in corde tuo; hoc est verbum fidei, quod predicamus: quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum et in corde tuo crederis quod Deus illum suscitaverit à mortuis, saluus eris; corde cum creditur ad justitiam, ore autem confessio fit in salutem. Justitia ex corde provenit, sed primum in malitiam ex suâ naturâ cor hominis non in bonum inclinari aliter potest quam per gratiam Jesu Christi. Hæc est quæ circumcidit cor hominis, cui sanctorum amore infundit, per quem cupidinibus suis exemptum, ad Deum solum fervet, et illa gratia ex fide solâ obtineri potest. Credendum est ergo in Jesum Christum, ut ab eo impetremus per fidem gratiam sine quâ adimplende legis incapaces sumus; simulque oportet ut confiteamur Jesum Christum, cujus testimonium sicut divini Redemptori reddamus, per cujus gratiam solummodo perficere legem nobis datur. Sic et cor et os in eam adimplendam concurrent: quæ perfectio à nobis cordis et oris consonantiam exigit, ut ametur, et in lucem producatur nostra fides. Hæc fides donum est divinum, cujus primitias cum sacro hospitalitate jam accepimus, quodque in nobis ut augeatur et servetur, semper precemur.

Credo, Domine, ait Marcus, sed adjuva inere- ditantem meam, Lucasque: Adjuva nobis fidem Domine Jesu. (Translat. ex Bibl. de Vence.)

DIVUS HIERONYMUS IN UNIVERSUM PENTATEUCHUM. Ad Desiderium.

Desiderii (1) mei desideratas accepi epistolas, qui quodam præsigio futurorum, cum Daniele sortitus est nomen, obsecrantis ut translata in latinam linguam de hebræo sermone Pentateuchum, nostrorum auribus traderem. Periculosum opus ceriè, et obtrectorum meorum latratibus patens; qui measserunt in septuaginta Interpretum suggillationem nova pro veteribus cadere, ita ingenium quasi vinum probantes; cum ego sæpius testatus sim, me pro virili portione in tabernaculo Dei offerre quæ possim, nec opes alterius aliorum paupertate fodari. Quod ut auderem, Origenis me studium provocavit, qui editioni antiquæ translationem Theodotionis miscuit, asterisco et obelo, id est, stellâ et veru opus omne distinguens: dum aut illucescere facit quæ raris ante fuerant; aut superflua quæque jugulat et confodit, maxime quæ Evangelistarum et Apostolorum auctoritas promulgavit. In quibus multa de veteri Testamento legimus, quæ in nostris codicibus non habentur; ut est illud: Ex Ægypto vocavi Filium meum; et: Quoniam Nazareus vocabitur; et: Videbunt in quem compunxerunt; et: Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; et: Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus diligentibus se; et multa alia quæ proprium *εὐαγγέλιον* (2) desiderant. Interrogemus ergo eos ubi hæc scripta sint, et cum dicere non poterint, de libris hebræicis proferamus. Primum testimonium est in Osee, secundum in Isaiâ, tertium in Zachariâ, quartum in Proverbis, quintum aquè in Isaiâ. Quod multi ignorantes, apo-

cryphorum deliramenta sectantur, et Iberas (1) naniis libris authenticis præferunt. Causas erroris non est meum exponere: Judæi prudenti factum dicunt esse consilio, ne Ptolomæus, unicus Dei cultor, etiam apud Hebræos duplicem divinitatem deprehenderet. Quod maxime idcirco faciunt, quia in Platonis dogma cadere videbatur. Denique ubicunque sacramentum aliquod Scriptura testatur de Patre et Filio et Spiritu sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacerunt, ut et regi satisfacerent, et arcana fidei non vulgarent. Et nescio quis primus sanctorum septuaginta cœlulas Alexandriæ mendacio suo extraxerit, quibus divisi eadem scripturarent; cum Aristæus ejusdem Ptolomæi *εὐαγγέλιον*, et multo post tempore Josephus, nihil tale retulerint. Sed in unâ basilicâ congregatos, cœtulisse scribant, non prophetasse: aliud est enim verum, aliud esse interpretem: ibi Spiritus ventura prædicit; hic eruditio et verborum copia, ea quæ intelligit transfert. Nisi fortè putandus est Tullius, Oeconomium Xenophonis, et Platonis Protagoram (2), et Demosthenis pro Ctesiphonte afflatus rhetorico spiritu transluisse. Aut aliter de iisdem libris per Septuaginta, aliter per Apostolos Spiritus sanctus testimonia texuit: ut quod illi tacerunt, hi scriptum esse mentis sint. Quid igitur? damnamus veteres? Minime. Sed post priorum studia, in domo Domini quod possimus laboramus. Illi interpretati sunt ante adventum Christi, et quod nesciebant dubis protulere sententiis: nos post passionem et resurrectionem ejus, non tam prophetiam quam historiam scribimus: aliter enim audita,

(1) Desiderius pius erat presbyter Aquitanensis, qui unâ cum Ripario tractatum composuit de Reverentiâ martyrum reliquiis concedendâ, quem Hieronymus contra Vigilantium produxit. Alii ferunt fuisse hæc doctrinâ præstantissimum, ad quem idem Pater scripsit epistolam CLIV secundum editionem Benedictinam.

(2) Vox *εὐαγγέλιον* hic significat commentarium, sive fusorem explicationem.

aliter visa narrantur: quod melius intelligimus, melius et proferimus. Audi igitur, emule, obtreclator, auscultā, non damno, non reprehendo Septuaginta; sed confidenter cunctis illis Apostolos præfero. Per illorum os mihi Christus sonat, quos ante prophetas inter spiritalia charismata positos lego; in quibus ultimū penē gradum interpretēs tenent. Quid livore torqueris? quid imperitorum animos contra me concitas? Sic ubi in translatione tibi videtur errare, interroga Hebræos; diversa-

rum urbium magistros consulte. Quod illi habent de Christo, tui codices non habent. Aliud est, si contra se postea ab Apostolis usurpata testimonia probaverunt, et emendatiora sunt exemplaria latīna quā græca, et græca quā hebræa. Verūm hæc contra invictos. Nunc te precor, Desideri charissime, ut quia tantum opus subire fecisti, et à Genesi exordium capere, orationibus juves, quò possim eodem spiritu quo scripti sunt libri, in latinum eos transferre sermonem.

IN LIBRUM JOSUÆ (1)

Introductio.

§. 1. *Argumentum libri Josuæ.* — Liber Josuæ narrat res gestas post obitum Moysi, nempe explorationem urbis Jericho, transitum populi per Jordanem, circumcisionem eorum qui, ob incommoda itineris per Arabiam, non fuerant circumcisi, celebrationem primi paschatis in regione Chanaan, ac occupationem urbis Jericho, quæ diris devota fuit, c. 1, 6. Repulso assultu urbis Ai, et animis populi dejectis, sorte deprehensum est sacrilegium Achanis, quo lapidato capta est Ai, atque de manu mandato, Deut. 27, satisfactum, c. 7, 8. Fœdus, ad quod Gabaonitæ obreperunt, occasione ulterioribus præliis præbuit; nam quum novis his sociis bellum à rege urbis Jebus seu Jerusalem, et à reliquis Chanaanitarum austrālium regibus immineret, Josue supplicat tulit, et omnem ferè Chanaan australem devicit. Paulo post reges chanaanitarum borealium, bellum parantes, prævenit, et ingenti clade prostravit, quæ totam ferè aquilonarem Chanaan cepit, c. 9, 12. Anno 7 vel 8 post irruptionem, regio geographicè descripta, et per sortem in tribus divisa fuit, quæ occasione partiti regionis trans Jordanem repetitur. Designatæ sunt urbes asylī, ubi rursum urbes asylī trans Jordanem repetuntur. Levitis traditæ sunt urbes 48, ex quibus 15 in austrāli regionis parte cesserunt sacerdotibus, c. 15, 22. Denique referuntur duo comitia et obitus Josuæ c. 25, 24.

§. 2. *Scopus auctoris.* — Ex hæc expositione (1) habet, Introd. in lib. vet. Fœderis.

argumenti patet, auctorem voluisse edocere lectores, quæ ratione illæ patriarchis toties repetite promissiones de possessione Chanaan, opere completæ fuerint, et quenam pars cui libet tribui obvenerit; hinc etiam antiquiorum occupationem et partitionem regionis trans Jordanem, repetit, Jos. 12, 1, 6, 13; 7, 33; 20, 8. Recentiorum mutationem partitionis non attingit; nam occupatio urbium Hebron et Debir per Calebū, Jos. 15, 15, 19, sub Josuâ contigit, et Jud. 1, 10, 15, 20, duntaxat ex antiquiori ævo in memoriam revocatur. Quæ de tribubus Juda, Ephraim, et Manasse Jos. 15, 63, 16, 10, 17, 12, 13, leguntur, non arguunt recentiorum ætatem, nisi fortè, quia cum orationis serie haudquaquā coherent, instrua sint. Denique loca Jos. 15, 9, 18, 25, quibus urbes Gabaonitarum, nempe Kirjath Jearim tribui Juda, Gabaon verò, Beeroth et Rephira tribui Benjamin adscribuntur, haud respiciunt historiam 2 Sam. 4, 2, et 21, 1, 6, commemoratam; nam Gabaon mox Jos. 21, 17, sacerdotibus traditur; unde liquet, has urbes Gabaonitis, qui servi erant sacri tabernaculi, relictas quidem, sed tamen ditioni certarum tribuum addictas fuisse.

§. 3. *An Josuæ libri auctor?* — Quum lingua non solum à Chaldaicis et recentioribus verbis immunis, sed etiam linguæ Pentateuchi affinis sit, nonnulli arbitrantur, librum esse ipsius Josuæ, idque sequentibus argumentis evincere contendunt. 1° Josuæ dicitur c. 24, 26, pertractata libro legis divinæ adjectisse, ut

liber Josuæ sit quasi continuatio quæpiam Deuteronomii, cujus postrema duo capita ab eodem Josuâ, adjecta videri possunt. — Ast Jos. 24, 26, non de libro nostro, sed de solâ restauratione fœderis cum Deo, agitur. 2° Ubi mors et sepultura Josuæ, c. 24, 29 et seqq., refertur, stylus variat, non secus ac in narratione mortis et sepulture Moysi, Deut. 35, 34, et Josuâ, prout ibi Moses, servus Dei salutatur, quod argumento est, hæc ab alienâ manu adjecta esse. 3° Auctor se gestorum fuisse participem innuit, Jos. 5, 1. 4° Liber totus spirat legem Moysi, quod pro Josuâ, individo Moysi ministro, apprime facit. Posteriora quidem tria argumenta non sunt contemnenda, verum ex aliis mox patebit, librum in hunc saltem ordinem redactum, rebus gestis non esse coævum.

§. 4. *An liber sit auctore Josuæ recentior.* — Qui statuunt librum esse multò recentiorum, plura adducunt, quibus nihil evincitur, prout alibi ostendimus; non desunt tamen alia, ex quibus id tutò concluditur. Nam 1° legitur Jos. 15, 63, Judæos, seu ex tribu Judâ oriundos, habitasse Jerusalem cum Jebusitis, qui à tribu Juda devinci non potuerant. Hoc incolarum consortium ortum est expugnatis post obitum Josuæ Jerusalem; tum enim sedes ibi figebant Judæici, atque Jebusite quoque, ex arce Sion quæ intacta manserat descendentes, domicilia sibi vindicabant. Id quidem solum, non penitus evincit, librum post mortem Josuæ scriptum esse, quia, quod Jud. 1, 8, post mortem Josuæ enarratur, ex Josuâ repetitum esse posset. Verum 2° ad contestandam illam cladem Chanaanitarum austrālium, refertur Jos. 10, 12, 15, carmen ex libro canticorum, quo testimonio de gestis, quæ erant ætate omnibus notissima, nec Josuâ, neque aliis æqualis, sed auctor duntaxat recentior uti potuit.

§. 5. *Ætas libri Josuæ.* — Librum scriptum esse ante 7 annuum regni Davidi, liquet ex Jos. 15, 63, ubi refertur, à tribu Juda non potuisse Jerusalem eliminari Jebusitas, et hinc eos cum Judæicis hanc urbem incolere, quin ulla fiat mentio de expugnatione arcis Sion sub Davide, qui hostes imbecilles et innocuos ex contemptu non expulit. Recentior ætas ex mentione montium Juda et Israel, Jos. 11, 16, 21, nequaquam evincitur; nam hæc nominum oppositio non modò primis septem annis regni Davidici, sed ævo quoque antiquiori locum habuit, et ex eo primitivè orta

est, quòd Juda, Gen. 49, 3, 40, à patre prærogativam primogeniti accepit. Hinc aliis quoque locis ante schisma, Juda ab Israel discernitur, et Juda opponitur tribui Ephraim seu Joseph, quæ alteram primogeniti prærogativam obtinuerat, Jud. 1, 1, 2, 20, 18; 1 Sam. 11, 8, 15, 4. Si porrò liber Judicum non post septimum regis Davidis annum, vel, prout deinceps ostendimus, non post primos annos regis Saulis scriptus fuit, liber Josuæ ante hoc tempus scriptus sit oportet; auctor enim libri Judicum manifestè librum Josuæ editum ponit; nam Jud. c. 1, 1, et c. 2, 6, 8, exorditur ab obitu Josuæ, quo liber Josuæ clauditur, et, nisi liber Josuæ adfuisset, auctor libri Judicum ab occupatione et partitione Chanaan, quæ consilio ipsius accommodata erat, exorsus fuisset. Quæ verò ætate, et à quo scriptus fuerit liber, expediri nequit; nomen autem à gestis Josuæ, quæ narrat, adeptus est.

(Samaritani satius duxerunt, duos sibi novos libros Josuæ edidisse, quàm à Judæis unum librum genuinum recipere. Primus orditur ab obitu Moysi, et desinit in Alexandro Severo (Append ad Hottingeri Exercit. Antimorian. Tig. 1644). Alter oritur ab Adamo, et desinit anno 898 Hegiræ, i. e. 1492. Samaritanischer Briefwechsel in Eleibornus Repert. für Bibl. und Morgenland. Literat. L. Th. S. 117, 159.)

§. 7. *Libri Josuæ ex documentis antiquis excerptus est.* — Librum Josuæ ex antiquis et coævis documentis excerptum esse sequentia comprobant. 1° Exemplum Moysi, res gestas litteris mandandi, expectare jubet, historiam quoque de gestis gravissimis, quibus promissiones Patriarchis factæ, opere completæ sunt, mox scripto exaratam fuisse, in primis cum definitio finitum inter diversas tribus, ne temporis progressu lites et bella intestina orientur, scriptum documentum exigeret. Id 2° confirmatur disertis testimoniis; nam Josuæ geographicam descriptionem regionis curasse legitur Jos. 18, et restaurationem fœderis cum Deo literis mandasse, narrat auctor Jos. 24, 25, unde rectè concluditur, etiam reliqua hujus ætatis gesta gravissima in commentario relata fuisse. 3° Auctor libri absque commentario authenticè et coævo non potuisset tot minutas definitiones finitum cujusvis referre, nec sermones Caleb c. 14, 6, 12 Phinechazi c. 22, 18, 20, tribum trans Jordanem c. 22, 21, 50, atque ipsius Josuæ c. 25 et 24, indolli cujuslibet tantâ accuratatione accommodare, neque omnia ita disponere, ut legem mosaicam spirarent; denique sine documento c. 5, 1, non fuisset locutus ut gestorum

particeps, neque scripsisset, meretricem Rahab usque ad hodiernum diem habitare inter Israelitas, quin de nuptiis ejus cum Salomone, filio Nahassonis, mentionem faceret; quæ omnia simul arguunt, documenta illa fuisse gestis cæcra. 4^o Ipse auctor libri disertis quoque verbis allegat librum carminum, Jos. 10, 15.

(Ex notatione, quæ sæpius recurrit: *In regione Chanaan*, Jos. 21, 22, 9, 11, 32, apparet, auctorem documentorum fuisse genocolum vel Levitam spectabilem trans Jordanem; nam etiam de erecto altari Jos. 21, 9, 24, diligentius agit, et sermones Phinechazi et tribunalis trans Jordanem, plenius refert, ac si præsens fuisset; è contrario relationem Phinechazi in comitiis, paucis absolvit. Ex plenioribus sermonibus Jos. 23 et 24, colligitur, auctorem etiam comitiis interfuisse. Hinc apparet, ex notatione: *In regione Chanaan*, ineptè conclusum fuisse, auctorem vixisse exilium in captivitate Babylonicâ; nam illa notatio est auctoris documentorum cœvorum, non redactoris nostri libri.)

§ 8. *Liber Josue fide dignus.* — Auctorem illa documenta religiose exerpisse, atque fide dignum esse, indubia indicia docent. Nam 1^o sermones Rahabæ, Calebi, Phinechazi, tribunalis trans Jordanem, et Josue, characteribus personarum apprime convenientes, auctor ex commentario suo ad verbum descripsit, atque in reliquis quoque, more historicis orientalis consueti, ad eorum verborum tenax erat, ut c. 5, 1, scriberet: *Donec transivisset, etc.*, n. 6, 25, Rahab habitat *inter Israelitas usque ad hunc diem*. Hinc etiam tribus non adducit ordine geographico, sed ordine illo, quo in documento sese sequuntur, nempe eo, quo partem regionis per sortem acceperunt, Jos. 15, 16, 18 et 19. Pluribus quoque vocibus et phrasibus utitur, quæ in Pentateucho leguntur, in sequentibus autem libris rarè aut nunquam recurrit, et aliis, quæ in libris sequentibus frequentes sunt, non utitur. Denique Josuam sine illa mentione honorificâ usque post obitum, nominat, prout in documento suo invenerat, neque Jos. 17, 15, adjicere ausus fuit, Hebræos demùm à Chanaanitis, quos tributarios fecerant, in idololatriam inductos fuisse, unde liquet, commentarium scriptum fuisse, antequàm id accidisset. 2^o Liber ab Hebræis eâ ætate receptus fuit, quâ, quia ille commentarius adhuc non aderat, fides auctoris explorari poterat, et gesta erant notissima, ut etiam refertur occupatio et partitio regionis ab Asapho Ps. 78, 55, 65, conf. Ps. 44, 2, 4; clades Chanaanitarum à cœvo Davidis Ps. 68, 15, 15; delictiones

aque Jordanis Ps. 114, 1, 5, 66, 5, 6. Habac. 5, 8; tempestas post cladem Chanaanitarum australium ab Habacuc 5, 11, 15; tabernaculum Silante Jud. 18, 51, 20, 1, 18, 26; Sam. 9, 24, 5, 21, 12. 3^o Denique omnia illi ætati accuratè respondent.

(Sermones Josue c. 23, 24, ferè nonnisi phrasibus mosaicis, præsertim iis, quæ in Deuteronomio occurrunt, contexti sunt, quod in sermone Calebi c. 14, 8, 12, Phinechazi et tribunalis trans Jordanem c. 22, 11, 34, non observatur; culibet autem singularis character loquentis impressus est.)

§ 9. *Difficultates in libro Josue.* — Difficultates, quæ in libro occurrunt, fidem auctoris nequaquam labefactant; sunt enim vel miracula Deo digna, et ad firmandos in religione animos disposita, vel sinistris interpretationibus niuntur. 1^o Defectio aquarum Jordanis, quamdiù sacerdotes, arcam sacram portantes, in alveo fluminis consistebant, Jos. 3, 4, Hebræorum, imprimis juniorum, fidem in Deum creatorem et rectorem universi, firmabat. Nec verendum est, ne aquæ, ad Zarthan consistentes, totam plantam Jordanis inundarint; poterant enim à cavitate subterraneâ, quæ fortè terræ motu aperta fuit, absorberi, donec Hebræi alveum egressi essent, ut miraculum, sicut plura Mosis miracula, fuerit revelatio ejus, quod nemo futurum prævidere poterat. Atque id quidem accidisse, monumentum, in memoriam rei erectum, sequentibus ætatibus testabatur. Qui opinantur, ex hujusmodi monumentis progressu temporis mirabilia fuisse conficta, omni fundamento destituntur, cum è contrario ex commentariis etiam cœvis constet, monumenta in memoriam actuum fuisse erecta, nullum verò indicium occurrat, ex monumentis fuisse historias confictas. Conf. Jos. 7, 26, 8, 29, 30, 35, 22, 9, 10, 24, 26, etc. 2^o Ita quoque monia Jerichum, Jos. 5, 15, 6, 27, eo temporis puncto, quo ambulantes urbem Hebræi conclamabant, exorto terræ motu concidere potuerunt, ut miraculum rursus sit præsentia, omnes vires rationis humane excedens. Quidquid sit, mirabile hoc factum ad eundem cum priori finem gravissimum collineat. 3^o Celebris locus Jos. 10, 12, 15, poeticus est; quare poeticè quoque explicandus, nempe, Hebræos tantam cladem intulisse Chanaanitis, ac si sol cursum sistisset, ac diem æquali rursus temporis spatio prolongasset. Orta nempe est, ut Habacuc c. 5, 10, 12, exponit, post prælium tempestas, Jos. 10, 11, quæ primum hostes plu-

rimos grandine confecit, deinde verò Hebræis lumine fulgurum Chanaanitas conspiciens reddidit, ut eos totâ nocte, non secus ac si dies esset, persequerentur. Poeta in subtili carmine, audaci figurâ induxit Josuam, soli et lunæ præcipientem, ut cursum sisterent, atque audaciori porrò figurâ adject, solem et lunam mandato hominis paruisse.

§ 10. *Indoles textus libri Josue.* — Aliæ difficultates ex mendis nascuntur, quæ textus passim contraxit, quod in libro tantæ antiquitatis aliter cadere non potuit, imprimis in tot nominibus propriis urbiu, in quibus errores, præsertim omissiones, facile committuntur, et non faciliè observantur, ut corrigi possent. Sic Jos. 15, 60, versio Alexandrina 41 urbes addit, quæ in hebraico textu desiderantur; Jos. 15, 32, numerantur 29 urbes, ubi priùs c. 15, 20, 31, nomina 56 urbiu adducta fuerant; c. 15, 33, 35, urbes 15 no-

minantur, et c. 15, 56, numerantur duatant 44. Vide porrò Jos. 15, 45, 50, 58, et conf. Jos. 19, 6, cum 1 Paralip. 4, 52; Jos. 19, 22, cum 1 Paralip. 6, 62; Jos. 19, 7, cum 1 Paralip. 5, 52. — Locis difficillimus Jos. 4, 9, de monumento duodecim lapidum, quod in ipso Jordanis alveo erectum fuisse refertur, dubio procul interpolatus est. — Masora verò injustè damnat duos versus Jos. 21, 56, 57, quos non tantùm 584 codices, et quidem optimi et antiquissimi, 441 editiones, et omnes quæ antiquæ versiones, in Bibliis polyglottis Londinensibus excusæ, exceptâ unicâ Peshchito, referunt, sed etiam locus parallelus 1 Paralip. 6, 65, 65, exhibet, et contextus quoque jure suo reposcit. Accedit, omissionem ob similiter desinens fuisse facillimam, translationem verò ex 1 Paralip. 6, 65, 64, in librum Josue, idèò non esse probabilem, quia series orationi absque illis duobus versibus sibi non constat.

MASII VITA.

MASIIUS vel MAES (Andreas), Linnichii, non procul à Bruxellis in Belgia, natus anno 1526, inter viros ætatis suæ doctissimos faciliè annumeratur. In philosophiâ jurisprudentiæque primò mirum in modum profecit, atque Joanni de Vèze, Constantiensi episcopo, à secretis factus est. Anno 1558, cum Clevis uxorem duxisset, Guilielmo, duci Clevisi, consiliarius accessit. Præterquàm quòd plurimas callebat linguas recentiores, in latino, græco, hebraeo, chaldaicoque ac syriaco sermone erat versatissimus. Quorum studio, dum Romæ adesse legatariâ investitus potestate, seriù incuberat, magistro Moysæ de Marèdin, presbytero Antiochiensi eruditissimo. Tantâ antiquitatis, tum sacræ, tum profanæ, cognitione pollebat, ut dixerit Sebastianus Munsterus, eum videri in antiquâ Româ, vel in antiquâ Jerusalem educatum. Judæorum libros noctu diuque versaverat et noverat penitè, ad eò in magna inde Scripturas scrutanti lux affulgeret. Multiplicibus et eximii admodum doctrinarum ornamentis addebat magis eximiam fortè judicii rectitudinem. Quod ad criticam sacram attinet, nulli sanè secundus, imò nec assimilandus extitit. Cum verò ratiocinationi paulò liberius indulgeret, ingenii acumine abreptus, incidit aliquandò audaculus in assertiones quæ meritam censuræ notam incurrerunt. Attamen non

obstantibus raris hisce lapsibus, Masii commentarium in Josuam præstantissimum omnium usque habitum est, clarusque P. Fabricy, Dominicanorum provincialis, non semel votis expetivit, ut denuò typis mandaretur. Cæterum in sententiâ sua minimè pervicax erat Masius, narratque Joannes Molanus eum monitum ut Vulgati interpretis versionem nonnisi summâ cum reverentiâ reprehenderet (textum enim hebraicum in commentario secutus est), libentissimè consilio acquiivisse. Possessione tenuerat celebre illud manuscritum syriacum quod hodiè amissum lugemus, et quo servata fuerat editio Origeniana libri Josue cæterorumque veteris Foderis librorum historicorum. Hæc syriaca versio ex græco Hexaplorum codice Eusebii Casareensis emendationes referente, verbo ad verbum expressa fuerat, circa annum 606.

Cætera Masii opera describit sequens syllabus: Varia fragmenta è syriaco sermone in latinum translata, Antverpiæ, 1569. Lingus syriacæ vocabularium sub titulo: *Syrorum peculium*, Antverpiæ, 1571, in-F^o.; *Grammatica lingue syriacæ*, Antverpiæ, 1571, in-F^o. Quæ posteriora duo opera composuit idèò ut obtineret Ariæ Montano aliquid in bibliis polyglottis Antverpiensibus inserendum efflagitanti. *Disputatio de cænâ Domini oppositâ Calvinistarum impiis corrupticis*, quæ, sicut et commen-

tarium in Josuam, post mortem auctoris solum prodit, Antverpiæ, 1575. Commentaria in aliquot capita Deuteronomii. Pleraque hæc opera continent *Critici sacri*, 2 edit. t. 2. Commentaria in Josuam, post mortem auctoris solum prodit, Antverpiæ, 1575.

IN JOSUAM MASI PRÆFATIO

Xenophon, communium rerum humanarum et bello et pace peritissimus vir, persuasum se esse scribit Cyri exemplo, qui Persa cum esset, maximè hominum, civitatum, nationum multitudinè faciliè imperavit, ut de sententiâ suâ decederet, quâ ante existimaverat, hominem facilius quibusvis animantibus, quam hominibus imperare posse: jamque statueret, ne laboriosum quidem esse munus, homines regere, nedùm, ut sic dicam, impossibile: modò ut arte quis id agat. Et sanè animi industriam plurimum conferre momenti, ad rectè, et faciliè etiam, gubernandos populos, cum ipsa ratio dicat, tum, quod ad propositum argumentum pertinet, ostendit Deus, quando successorem flagitanti ante suum excessum Mosi, respondet: Cape tibi Josuam filium Nun, virum in quo est spiritus. Nam spiritum dicere videtur animi industriam, perspicacitatem, prudentiam; sicut Malachias, cum Israelitarum redarguit intemperantiam, qui suæ libidini exemplum Jacobi opponerent, cum dicerent, excellentiore eum spiritu præditum fuisse. Sed nobis Christianis persuasissimum esse debet, non tam humanâ prudentiâ homines benè feliciterque moderari hominibus, quam Christi nutu et gratiâ, qui est æterna Dei Patris sapientia, per quam reges regnant, et principes statuant que justa sunt. Atque haud scio, an illâ aliâ in re Dei curatio, quâ ille res humanas regit, quàm in imperiis appareat luculentius. Quis enim nescit, quantâ ambitione mortalium omnium animus, suo quodam instinctu, non solum vivendi libertatem, sed etiam aliis imperandi potestatem affectet? Qui fit ergo, ut non solum civitates, sed nationes etiam, et amplissimæ gentes se unius hominuculi imperio subjiciant, ensus sæpè ne nomen quidem per famam ad ipsas est allatum, nedùm magnæ virtutes, nisi quia illum Deus suâ quâdam

taria in libros historicos Scripturæ Masius meditabatur, cum morte interceptus est. Zucarnare prope Clevisiam obiit die septimâ aprilis 1575, ætatis quinquagesimâ septimâ.

tenus majestate amplieavit, atque terrore simul et gratiâ reverendum à suis parentibus reddidit? Certè imperiorum regnorumque statum omnem prorsus ex Dei arbitrio pendere, non autem in mortalium esse manû, vel unius Daniel satis locuples, et certis testis est. Et ornet Xenophon suum Cyrum, quantis velit virtutibus, per quas illum existimet maxima sibi imperia vindicasse; nos ex Isaiâ accepimus, illum non naturæ suæ bonitate, aut animi sui prudentiâ, sed prorsus Dei consilio, ducto, ope tanta patravisse facinora. Sed quorsum ista? Nempe cum Josua maximum imperium, quod ille apud Israelitas, gentem cum primis pervicacem, per multos annos, ad vitæ suæ finem usque agitavit, explicare institerim, ne quis vehementius admiretor, quibus tandem virtutibus fretus id ille perpetuè exerceret, et quidem temporibus difficilissimis, quando Mosen hominem divinum, toties non solum querellis suorum popularium, sed vitæ etiam suæ periculis objectum fuisse testata res est. Nimirum Deus ejus viri actiones omnes, rectè, neque usquam impedito cursu dirigebat, cujus administratione volebat piorum hominum animis regnum filii sui Jesu Christi adiuturum, illoque vicissim se ad divinæ voluntatis ductum ubique sedulo applicabat. At Mosen, qui sentitiose, invia, et infirmæ per carnem legis, neque eò quò spectabat perducere valentis fuit administrator, mirabile non est, si cum plurimis difficultatibus luctari est passus. Est igitur hujus sacri commentarii, quem Deo præeunte conabimur explicare, argumentum Josuæ imperium, hoc est, sacra historia, complectens ea quæ populo Dei, à Mosis excessu, prope ad Judices usque, quorum primus fuit Othniel, acciderunt per annos complures; quo- rum summam rationemque suo loco explica-

binus. Inscrubitur autem Josuæ nomine, quia ejus, ut dixi, imperium agitur. Neque enim ille scriptor est, ut multis ostendemus argumentis, opportunis locis. Quare futilis, commentitiæque est veterum Judæorum sententiâ, quam in suo Talmude scriptam reliquerunt de sacrorum librorum auctoribus, his ferè verbis: Moses scripsit librum suum, et historiam Balaam, ac Job. Josua scripsit librum suum, et octo postremos versus, qui in lege habentur. Samuel scripsit librum suum et historiam Judicum, ac Ruth. David scripsit librum suum Psalmorum ex sententiâ decem senum, Adami, Melchisedech, Abrahami, Mosis, Heman, Jeduthun, Assaph, denique trium liberorum Coræ. Jeremias scripsit librum suum, et librum Regum, atque Lamentationes; Ezechias, et ejus familia res scriperunt vaticinationes Isaiæ, Proverbia, Cantica canticorum et Ecclesiasten. Viri synagoga magnæ scriperunt predicationes Ezechielis, et duodecim prophetas minores, ac insuper Danielelem, et volumen Esther. Esdras scripsit librum suum et genealogias libri Paralipomenon, usque ad eum locum, in quo suam ipse cognationem ostendit. Cætera absoluti Nehemias. Hæc ferè ad verbum Talmudici capio primo Baba batrà; quàm rectè ali judicent, Mibi certè ea est opinio, ut putem, Esdras, sive solum, sive unâ cum aequalibus, insigni pietate et eruditione viris, cælesti spiritu allatum, non solum hunc Josuæ, verum etiam Judicum, Regum, alios, quos in sacris, ut vocant, Bibliis legimus libros, ex diversis annalibus apud Ecclesiam Dei conservatis compilasse, in eumque ordinem, qui jam olim habetur, redeigisse atque disposuisse. Quin ipsum etiam Mosis opus, quod vocant *ספר יהושע*, longo post Mosen tempore, interjectis saltem hic, illic, verborum, et sententiarum clausulis, veluti sarcinitum, atque omnino explicatius redditum esse, conjecturæ bonæ afferri faciliè possunt. Nam ut unam, exempli causâ, dicam, Cariath-Arbe sæpè illic Hebron nominatur et tamen hoc illi urbi nomen à Caleb filio Hebrone impositum esse graves auctores tradiderunt. Quapropter neque divus Hieronymus, in actione contra Helvidium, aliter de Pentateuchi scriptore sentire videtur. Cæterum priscis temporibus apud Ecclesiam fuisse diaria et annales, in quibus res gestas, ut quæque notata dignissimæ, ad doctrinæ sacræ propagationem utilissimæ videbantur, continuatâ serie inscribentur ii qui quoquo tempore elegant pietateque præstantes in populo

Dei vivebant, satis docent, cum aliæ, quæ sæpè laudantur, quamvis jam intercederint, Regum historia; tum liber bellorum Domini, et liber Recti, in quo et Josuæ nostri, et Samuelis, Saulisque gesta fuisse inscripta certum est. Quin ipsæ sacræ litteræ eos tales annalium, sive diariorum scriptores, *הַמְּסֻדָּתִים*, appellant, hoc est, argutos, scitos, facetosque homines, et subtiles ac elegantes scriptores *רש"ל*, Maschal enim dicendi, scribendive genus est urbanum, ingeniosum, facetum, elegans. Nimirum isti, res omnes quæ memorabiles usquam in cœtu Dei eveniebant, prout magis, minibus insignes erant, partim ligatâ oratione, aliâ solutâ, conscribebant. Quis, queso, non stultus, et stupidius existimet, Samuelem, cum Saulis se querentis ipsa verba esset recitaturus, sic esse præfatum: Eum qui hodie Propheta dicitur, vocabant olim Videntem, ac non potius hæc esse verba scriptoris res prices, et à suo seculo longè remotas narrantis? Verùm enim verò non est magnopere contendendum de scriptore, modò ut credamus, sicut ipsarum rerum gestarum, ita et verborum, per quæ ad nos illæ sunt propagatæ, auctorem esse Deum, ut inde congruenter ad ipsius voluntatem vivendi normam discamus, perpetuamque ipsius de suo cœtu, et nostrâ salute providentiam propitius agnoscamus, eoque ad ipsum magis magisque amandum, observandum, colendum excitemur. Sed ut priusquam propositæ historia verba aggredimur explicare, pauca repetamus, quæ extra hoc commentarium de Josuâ sunt sacris litteris prodita, fuit ipse genere Ephraimita, hoc est, ex dilectissimo Josepho prognatus, patre Nun, quem Græci diducto nomine in syllabas duas, *Νουν*, Nave, vocant. Fuisse autem eum inter suos tribules virum primarium, constat ex Numeris. Neque enim è Cades-Barne, nisi qui in quaque tribu principes erant, ablegabantur. De corporis quidem præstantiâ, nihil quod sciam est sacrâ narratione proditum. At animi vigorem imperio dignum fuisse, planum nuper faciebam, vel Deo teste. Porrò cooptavit eum Moses in suam familiam, idque, ut creditibile est, postquam rubi ostento monitus, in Ægyptum à Madiianitis revertisset. Quo tempore quadragenario minor ille esse non potuit, quod suo loco explicabimus. Sed profectò non sine cælesti instinctu cooptavit, nimirum, ut qui Dei populum esset aliquandò reclusus, ipse prius ab omnium mortalium ætate optimo sanctissimoque imperatore regeretur. Qui enim